

EMINENTISSIMO VIRO, GEORGIO
Tanstetter Collimitio, Artium & Medicinæ Docto-
ri peritissimo, & Mathematices, in inclyto Viennen-
si Gymnasio profesori ordinario perspicaciss. Pa-
trono suo obseruantiss. Io. Vægelin Haylpronem. S.

CVM prælegendorum Mathematũ muneri me
substituissem, cœpi illico cogitare, qua ratio-
ne tibi gratitudinem meã declararem: cumq; diu id
me sollicitum dedisset, uidi tandem nulla re magis a-
nimus in te meum perspicuum fore, quàm si diligen-
tem ac strennuam operam ibi locarem. Ea propter
summum est mihi studium, non solum accuratè quæ
iubes legere, uerum etiam in his docendis, eo uti or-
dine, quo Matheseos tyrones facillimè erudiantur,
& ad alios huius generis libros idonei auditores red-
dantur. Cum uero post numerorum scientiam, quam
hac hyeme, tuo monitu, interpretatus sum, necessa-
riò tradenda putarim Elemēta Geometrica: sine his
enim frustra alias aggrediare disciplinas. Ideo pro-
pter omnium studiosorum commoda, ex Euclidis Ge-
ometria, eas duntaxat excerpsti Propositiones, quæ in
demonstrationibus linearibus crebrius obuersantur,
quæq; satis propè sunt ad disciplinarum culmen per-
ducere. In quibus ordinandis pariter, ac demonstrã-
dis, prudens non semel ab Euclide dissentio: Ita enim
rei breuitas, & quam semper quæsiui facilitatem,
postulabant. Hunc ergo libellum, obseruantiss-
ime Patrone, tuo solerti examini submitto: non am-
bigens